Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dis ab ea repellat, et sit purgata per signum sanctæ Crucis domini nostri Jhesu Christi, qui uenturus est iudicare. etc.

Oratio.

Te deprecor fili dei uiui dne Jhesu Christe, potestas super potestatem, dominus super dominos, qui habes potestatem super omne nomen, qui fecisti mirabilia magna, qui de aqua uinum ordinasti, leprosos mundasti, paralyticos uerbo curasti, cecis uisum donasti, dæmonia effugasti, qui passus es sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, et descendisti ad infernum, et conculcasti aculeum mortis: Tertia die resurrexisti à mortuis: et apparuisti apostolis, ascendisti ad coelos, et sedes ad dexteram dei patris, inde uenturus es iudicare uiuos et mortuos. Jubeat pietas tua dne recedere doemonia, et omnem incursum diabolicum à creatura tua: et non nobis dne non nobis, sed nomini tuo da gloriam, ne quando dicant gentes, ubi est Deus eorum. Deus autem noster in coelo, omnia quecunq; uoluit fecit saluator mundi, qui uiuit et regnat. etc.

Et cum impetrasti optatum, da sibi licentiam, et dicas.

Effuge à facie mea spiritus malignę sine omni læsione mei corporis et animæ nec non illius famulæ N. et omnium circumstantium, et uade in profundum inferni, siue in de-